Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36552
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



retur propicius adunare. Quid tunc doloris. quid putamus
tristicie sanctorum animos persensisse. quantos curarum estus
profundo in corde uersasse. cum fratrem et in celesti milicia
socium uiderent a suo consortio separari. Nam cum ipsi unum essent
in domino essetque in eis unum cor. et una anima dum unus ex hac sancta
sotietate disiungeretur. quodam modo pars anime diuellebatur.
miroque modo ad se remanebant mortui. et ad illum persiste
bant uiui. quamquam sanctorum sotietas totius sit scissionis ignara. quam
ipse xpc glutino sue compaginat karitatis. idoque recedentis ab
sentiam pati poterat. quo interioris hominis semper se con
templabantur aspectu. Ad iuerticulo narrationis ordinem rede
amus. Sancto andeolo ad predictum locum iter arripiente. hi tres uiri
sancte trinitatis munere fulgentes ad urbem augustudunum
iter dirigunt. Hec ex antiquo edua uocitata est. hac
ut fertur de causa. quod cum primum ciuitatis eius de fundamenta
iacerentur. in eius medio duo eduli uisi sunt. obuersis frontibus
illisisque inter se ualide cornibus obluctari. Hanc postmodum
ciuitatem iulius cum per gallias delectum militem ageret in feudo
recepit. ciuesque et amicos apellauit. atque ex suo nomine
augustudunum hoc est augusti montem appellari con
stituit. Ad hanc itaque urbem itinere attingentes. faustum
uirum nobilissimum ac xpianitatis uerissimum amatorem
repperiunt. A quo omni humanitatis liberalitate suscepti.
omnique honoris assentatione habiti sunt. Quique tam euidentis
gratie dei munere preuenti sunt. ut cum innumera turba ami
corum. preterea infinita seruorum. famularum quoque clientela. etiam
filium eius symphorianum nomine. adhuc intra infantie
annos positum. beatissimus benignus baptizaret.